

conditione si ipse Prælatus vixerit, & ut effectum habeat, dum ipse Prælatus jus habuerit percipiendi reditus illos, hoc etenim dicitur materia subiecta.

## CAPUT III.

De vetita rerum Ecclesiæ alienatione & quid nomine alienationis veniat; & quæ res contineatur?

1. *Primis Ecclesiæ seculis non videtur Episcopis interdicta rerum Ecclesiæ alienatio.*
2. *Quare vetita postmodum earum alienatio.*
3. *Decretum Concilii Carthaginensis vetans hanc alienationem.*
4. *Decretum sub nomine Concilii apud Valentiam relatum in Decretalibus Gregorii IX.*
5. *In nullo Concilio Valentino reperitur.*
6. *Refert illud Gratianus nonnullis additis, quæ simul consuevit Decretum hodie vulgatissimum; cuius tenor exhibetur.*
7. *Refertur à Gratiano sub nomine Leonis Papæ; qui communiter creditur Leo Magnus.*
8. *Epistolam Leonis M. quæ partem Decreti continet primis evulgavit Gerardus Vossius.*
9. *Ex hac Epistola aliqua omisit, notanda tamen, & aliqua addidit Graecianus.*
10. *Epistolam hanc Leoni Magno adscribi non posse dicit Paschasius Quenellius.*
11. *Argumenta quibus id probat Quenellius.*
12. *Quaratione Leoni Magno hæc Epistola supposita videtur.*
13. *Hoc Decreto antiquiores usi non sunt; sed posterioribus admodum fuit familiare non tantum Doctoribus, sed & Pontificibus.*
14. *Plurimum à Pontificibus tum à Synodis edita Decreta alienationem rerum Ecclesiæ vetantia.*
15. *Principes Seculares illa suis legibus fulcierunt.*
16. *Constitutio Leonis Imp. & ratio vetitæ alienationis.*
17. *Hæc constitutio per Anastasium extensa.*
18. *Iustinianus hæc abrogata extendit legem Leonis ad omnes Ecclesiæ.*
19. *Principes nostri etiam Decreta Canonum probarunt.*
20. *Episcopi, & Pastores, hodie jurant bona suarum Ecclesiarum & Beneficiorum non alienare.*
21. *Nomine alienationis continetur omnis actus translaticivus Domini.*
22. *Item per quæ aliquo modo res Ecclesiæ adimuntur.*
23. *Alienatio fit per infeudationem, & dationem in emphyteusim.*
24. *Item per concessionem usufructus.*
25. *Vetatur quoque res pignori dari, & quare?*
26. *Ostenditur corruptus textus Cap. 5. in h. t. delendamque v. cem conditionem.*
27. *Debet Beneficiarius res sui Beneficii integras servare.*
28. *Quæ res sub prohibita alienatione contineantur?*
29. *An arbores in fundo extrescentes contineantur?*
30. *Decretum Synodi Silvaducensis de cedendis arboribus.*

**R**imis Ecclesiæ seculis, præsertim quædiu Ecclesiæ præter Fidelium oblationes nulla bona habebat, non legitur, Episcopis interdum fuisse rerum Ecclesiasticarum alienationem; sed libera & plena earum dispositio ipsis concedita videbatur. Absolum enim videbatur, iis non credi rerum temporalium dispensationem, quibus prætorum hominum animæ sunt credendæ.

II. Verum cum Ecclesiæ cessante Ethnicorum Imperatorum persecutione cepit etiam bona immobilia possidere, e quorum proventibus in perpetuum quodammodo Ministris Ecclesiæ, aliisque necessariis ad divinum cultum provideretur; atque experientia doceret, nonnullos Episcopos, non satis sollicitos pro successibus, bona illa in propriam utilitatem distrahere; cepit ipsorum auctoritas in rerum illarum administratione limitari; & rerum Ecclesiasticarum alienatio inhiberi; aut saltem certis quibusdam terminis & legibus circumscribi.

III. Quando hæc alienationis inhibitio initium sumperit, incertum est. hoc non obscurum est, seculo 4. in aliquibus saltem Ecclesiis Canones hæc de re editos fuisse. Legitur in Concilio Carthaginensi V. anno 395. *Can. 39.* "Nullus res Ecclesiæ distrahat. Quod si reditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit, hanc, insinuandam esse Primati ipsius Provinciae censemus, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciant, dum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ ut non possit ante Primatem consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium referre omnem Ecclesiæ necessitatem. Quod si non fecerit, reus Deo, & sancto Concilio venditor honoris amisso teneatur." Ita refert Gratianus *caus. 17. q. 4. Can. 39.*

IV. Refertur quoque in Decretalibus Gregorii IX. in *Cap. 1. De his quæ sunt à Prælato &c.* sub nomine Concilii apud Valentiam: "Irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque collaudatione & subscriptione Clericorum."

V. Nonnulli credunt hoc Decretum editum in Concilio Valentino habito anno 374. at notavit jam pridem Antonius Augustinus, uti & Petrus Crabbus in notis ad hoc Concilium, hoc in nullo Valentino Concilio Gallæ aut Hispaniæ reperiri.

VI. Extat idem Decretum apud Gratianum *caus. 12. q. 2. Can. 52.* nonnullis tamen additis, quæ simul consuevit Decretum in hac materia apud Canonistas famosissimum & vulgatissimum; & quo penè solo hodierna disciplina de alienatione rerum Ecclesiæ continetur. Exprimitur autem his verbis: "Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ, quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat; nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat; quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ. Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. Irritæ enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit absque conniventia, & subscriptione clericorum."

VII. Refert autem illud Gratianus ex epistola Leonis Papæ, *universis Episcopis per Siciliam constitutis*; crediturque passim à Canonistis, hic designari Leonem Magnum.

VIII. Verum nulla inter epistolas Leonis Magni extabat quæ hoc Decretum contineret, antequam Gerardus Vossius epistolam hæcenus ineditam, sub nomine Leonis Magni ad universos Episcopos per Siciliam constitutos evulgavit; quam ex antiquo Cardinalis Sileti M. S. codice acceptam, ex consulari nota, & ipsius Leonis phrasi ac dictione, quam ispirare ei visum est, Leonis Magni esse non suspicatur modò, sed planè & indubitanter asseverat.

IX. Si hoc Vossii iudicium satis esset fundatum, non dubium, quin saltem pro prima parte, id est, à primis verbis, usque ad illa, *profuturum Ecclesiæ*, hoc Decretum Leoni Magno adscribendum esset: quia eateenus in hac Epistola continetur; reliqua à Gratiano addita sunt; uti & nonnulla omissa: quæ tamen merito fuisse

fuisse addita, ut potè rationem prohibitiæ alienationis experientia. "Quia (ait) plenum iustitiæ est, fratres charissimi, ut non solum Episcopis, sed etiam totius Clerici studio, Ecclesiasticæ utilitatis incrementa serventur, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum suarum salutem, fideles de propria substantia Ecclesiis contulerunt."

X. Verum Vir summæ eruditionis Paschasius Quenellius in sua operum Leonis revisione, relata opinione Vossii dicere non dubitavit: "Mibi verò Leonis non esse, penè certum est, vel unius styli inspectione, quem à Leonino abhorre quivis facile deprehenderit."

XI. Tum realis nonnullis quæ à stylo Leonis videntur planè aliena, plura alia argumenta adducit, quibus ostendat, epistolam hanc Leoni Magno adscribi non posse; atque inter alia advertit in eadem epistola mentionem fieri duplicis Decreti, quo à Leone *ordinatum erat quem admodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consideretur*, ad versus fraudulentos Ecclesiasticorum bonorum prædones "Quæ Decreta (ait Quenellius) si verè à Leone emissa essent, numquam eorum memoria excideret. Etsi enim plurimæ Leonis aliorumque Pontificum familiares epistolæ, vel omnino perierint, vel ad tempus ab hominum notitia subtractæ sint, vix tamen contingere id potuit circa Decretales & Constituta, quæ plurimum Ecclesiarum negotia & ordinationem attinent, & multò minùs si ad totius Provinciae amplissimæque Insulæ Episcopos & Ecclesias fuerint directæ; cujus generis esse debuerant tam hæc, si genuina esset, quam ille de quibus mentionem facit."

Deinde advertit, nequaquam verisimile esse, rem potè Leonis tantam fuisse Ecclesiasticæ disciplinæ perturbationem, ut in Provincia Romanæ Sedi subiecta, in qua erant vigilantissimi Præsules, inter quos paschasius Lilebetanus, *omnium alicujus Ecclesiæ prædia vendendo, donando, & diversis modis alienando Episcopus dispareret*; imò tanta corruptela ut plures qui id agerent, invenirentur, quod epistola diserte asserit. Quamobrem ad posteriora secula remittendam esse hujusmodi deprecationem existimo.

XII. Ex his aliisque tandem concludit Eruditus auditor: "His perpensis in hæc sententiam facile adducor, ut vel hæc Epistolam existimem supposititiam esse, eo scilicet consilio confictam ut alicui illarum Ecclesiarum prædia distracta de novo vindicarentur: quod sæpe factum esse notum est, ut germanorum monumentorum loco ficticia substituerentur asserendis Ecclesiarum iuribus vel privilegiis quoque modo accommodata; vel saltem credam alterius esse Leonis; quam nostri, secundi puta vel tertii vel etiam posterioris."

XIII. Quidquid sit de hæc Epistolæ, aut hujus Decreti sinceritate; & an Leoni Magno, an alteri adscribendum, hoc constat, quod licet in antiquorum Pontificum, qui seculo 5. & 6. aut etiam 7. Leoni successerunt, Decretis contra indebitam bonorum Ecclesiasticorum alienationem editis, nulla hujus Decreti mentio fiat, nihilominus posterioribus seculis, hoc Decretum in hac materia passim non tantum à Doctoribus, sed & Pontificibus in suis responsis & Decretalibus fuisse assumptum, tanquam præcipuum monumentum disciplinam alienationis bonorum Ecclesiasticorum formans.

Unde Rebuffus hæc alienationis materiam Auditoribus suis explanare volens, hoc Decretum tanquam *utilissimum & frequentissimum* singillatim per singulas partes explicandum duxit, ut ipse asserit in suo *Compendio alienationis rerum Eccles. n. 43.*

Similiter Innocentius III. in fundamentum suæ resolutionis non semel hoc Decreto, & quidem sub nomine Leonis Papæ usus est, ut videri potest in *Cap. 7. & 8. De His quæ sunt à Prælato &c.*

XIV. Præter hoc Decretum extant plura antiquiorum, tum recentiorum Pontificum & Synodorum Decreta, alienationem hanc vetantia, aut saltem certis regulis & terminis circumscriptibentia, quæ referuntur, vel apud Gratianum, vel in Decretalibus Gregorii IV. aliisque partibus Juris Canonici sub titulo *De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis*; & quorum in progressu hujus tituli mentio facienda erit.

XV. Principes quoque conservationi rerum temporalium quas ipsi vel eorum Majores, aut Vasalli & subditi Ecclesiis donarant, conservationi intendentes, Canones alienationem vetantes aut circumscriptibentes suis legibus fulcierunt.

XVI. Primus Imperator qui hæc de re legem edidit, creditur Leo Imperator anno 470. cujus constitutio extat in *L. 14. Cod. De SS. Ecclesiis*, declarans, nulli Episcopo aut æconomio esse alienandi facultatem; "nec si omnes cum religioso Episcopo & æconomio Clerici in earum possessionum alienationem consentiant. Ea Rationem suæ constitutionis notendam subjungit: "Ea enim quæ ad beatissimæ Ecclesiæ jura pertinent, vel posthac fortè pervenerint, tanquam ipsam sacrosanctam & religiosam Ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri: ut sicut ipsa religio, nis & fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum."

XVII. Hæc Leonis constitutio solam Ecclesiam Constantinopolitanam spectans, ab Anastasio Imperatore in *L. 17. Cod. eod.* ad omnes Patriarchatus Constantinopolitani Ecclesias extensa est; vultque ut quæ ab ipso decreta sunt, locum habeant, & in futuris Ecclesiasticis rebus, & in præteritis aut præsentibus.

XVIII. Tandem Justinianus, abrogata lege Anastasiana, Leoninam ad omnes planè Ecclesias extendit; duasque amplas de hac alienationis prohibitione, ejusque regulis & terminis edidit, relatas in *Novella 7. & 120.* atque per partes referuntur penè integrè in authenticis subiectis citatæ *legi 14. & promagna parte extant apud Gratianum caus. 20. q. 2. Can. 2.* post relatum fragmentum ex Constitutione Leonis.

XIX. Principes nostri alienationes bonorum Ecclesiasticorum sine forma Canonibus & legibus præscripta factas pro nullis haberi volunt; edicitque Philippus II. in Edicto ad Synodum Cameracensem *art. 22.* quod si contingat iudices Regios interpellari ab Ecclesiasticis super rescissione aut annullatione alienationis rerum Ecclesiasticarum, hi iudices sequi debent Canones, & leges Civiles his non contrarias, nec non Edicta, consuetudines, & morem observatum, in majus Ecclesiarum bonum. Verba Edicti sunt:

*D' avant aigne nous entendons que queant personns Ecclesiastiques intenteront quelque action par devant nos Juges Provinciaux, ou autres seculiers pour la rescission, ou annullation de quelque alienation des biens d'Eglise, ou de quelque louage fait à longues années, ou autre contrat dommageable à l'Eglise, noldits Juges se regleront selon les Canons, & constitutions du droit Civil non repugnantes ausdicts Canons, & selon les placartz, costumes, ou usances observees pour le plus grand bien des Eglises.* Id est. Insuper volumus, ut quancumque Ecclesiasticis coram Judicibus nostris Provincialibus aliisque Secularibus litem intentabunt pro rescissione alienationis factæ de bonis Ecclesiæ, aut conductionis in longum tempus pactæ, aut alterius contractus Ecclesiæ nocivi, Judices nostri, Canonibus & Juris Civilis Constitutionibus, dictis Canonibus non adversantibus se conforment, prout & juxta edicta, mores, receptaque consuetudines ad majus Ecclesiarum bonum.

XX. Episcopi hodie juxta formulam juramenti in Pontificali praescriptam, jurant ante suam ordinationem, non alienare bona mensa sua; de quo juramento actum est supra parte 1. tituli. 15. caput. 2. Similiter & Parochi jurant, se non alienaturos bona sui Pastoratus, de quo supra tituli. 22. cap. 2.

XXI. Alienationis nomine imprimis venit actu omnis quo rei alienus dominium transfertur; idque siue sit actus ultima voluntatis, siue inter vivos; uti specialiter declaratur in citata L. 14. Cod. De SS. Eccles. Specialiter autem vetatur in hac lege donatio ad vicissitudinem beneficii collati, aut gratia referenda; quia color hic plerumque donationi quaeritur, ut ait Justinianus in Novella 120. & notavit Cujacius ad Novellam 7.

XXII. Imò quia finis veritatis alienationis est, ut res Ecclesiae perpetuò integræ conserventur; ut ex earum proventibus Ministri vivere, aliaque ad cultum Divinum necessaria semper haberi queant, conseqens est, alienationis nomine hic comprehendere omnem illarum actum, per quem res ipsa quo cumque modo Ecclesiae adimitur, aut impeditur quo minus Ecclesia hac re ulterius plenè & liberè uti, aut ejus emolumentum aut proventum percipere queat.

XXIII. Unde non tantum res Ecclesiae alienari dicitur, ad mentem Canonum, dum in alium transfertur quoad plenum & absolutum dominium; sed etiam per translationem dominii utilis; ut sit per infeudationem, vel dationem in emphyteusim; & declaratur in Novella 7. Justiniani: quia licet non adimatur directum dominium ipsi Ecclesiae, rei tamen emolumentum eripitur.

XXIV. Similiter quia per usum fructuum rei, tota ipsius utilitas ad usum fructuarium devolvitur, & proprietario adimitur, verita alienatione, etiam verita habetur usus fructus concessio.

XXV. Quin & prohibentur eadem ratione res Ecclesiae pignori siue hypothecæ dari in citata Novella Justiniani; & in allegato Cap. 5. expressè inter veritatis alienationis species ponitur specialis hypothecæ obligatio; prohibeturque creditoribus rem Ecclesiae specialis hypothecæ titulo obligare: quia licet per pignoris constitutionem non mutetur causa dominii, tamen jus in re tribuitur, vi cuius creditor ad ejus distractionem procedere aliquando possit: neque res ipsa pignori aut hypothecæ supposita amplius libera manet penes Ecclesiam; sed ob jus in re in alium translatum, jam quodammodo aliena censetur: ideoque si testator alienationem prohibuerit, etiam pignoris hodie prohibita censetur L. fin. Cod. De Rebus alienis non alienandis.

XXVI. Dicitur in allegato Capitulo 5. Alienationis autem verbum continet conditionem; quæ verba à variis diversimodè sumuntur; aliis dicentibus, pro conditionem legendum conditionem, nimirum ad longum tempus; aliis præterdentibus intelligi contractum conditionalem; aliis verò sumentibus vocem illam pro pactione super rebus Ecclesiae. At ommissis hinc incertis opinionibus super acceptione hujus vocis, verior apparet opinio Antonii Augustini, qui vocem illam rejiciendam credit; ut potè in authentographis & codicibus, unde hic textus primitus desumptus est, non occurrens. Textum enim hunc primitus desumptum ex Novella 7. Justiniani non obscurum est; & ex illa refertur apud Ivonem parte 4. cap. 185. ubi nulla mentio fit conditionis. Burchardus textum hunc desumptum sub Ludovico Rege Can. 5. idque cum hac voce conditionem, sed ommissa voce venditionem; putatque Antonius Augustinus, quod librarii Burchardi mendosè pro venditionem scripserint conditionem: quod mendum retinuit Bernardus Papiensis in prima Decretalium Collectione. Raymundus autem Decretalium Gregorii IX. compileret retenta voce conditionem addidit & vocem venditionem, cruce, ut aiant,

Interpretibus relinquentes. Hinc iterum patet, quam utile, imò & necessarium sit, nonnumquam ad ipsos primos Decretalium fontes habere recursum, uti monui & pluribus ostendi in tractatu historico Canonico in Canonibus parte 8. cap. 1. §. 6.

XXVII. Ut autem verbo absolvam, potest quidem Beneficiatus rebus sui Beneficii uti, atque ex proventibus vivere; sed res ipsas integras conservare debet, & ad successores transmittere; ut & ipsi earum proventus liberè & plenè percipere queant; ut sicut ipsa religio perpetua est, ita & ejus patrimonium jugiter servetur illarum; uti loquitur Leo Imperator.

XXVIII. Ex hæcenus dictis facillè intelligi potest, quæ res sub prohibita alienatione, ad mentem Canonum & Legum comprehendere debeant; nimirum illæ, è quibus loca pia reguntur atque illustrantur, & eorum Ministri alimoniam accipiunt, quemadmodum loquitur Pontifex in Extravagante AMBITIOSÆ De Rebus Ecclesiae non alienandis: id est, quæ ex natura sua, vel voluntate offerentium destinatae sunt, ut usibus Ecclesiae, vel Ministrorum alimoniam in perpetuum subserviant; & quibus Beneficiati tamquam usufructuarii utantur salva earum substantia.

XXIX. Quapropter si in fundo pertinente ad Ecclesiam aut beneficium nascantur grandes arbores, quæ cædi non solent, non poterit eas Beneficiatus in suum proprium commodum tamquam annuos proventus, cædere & convertere: quia ex natura sua videntur destinatae ut serventur ipsi Ecclesiae; non autem ad instar annuorum proventuum à Beneficiatis consumantur, uti in usufructuario respondit Jurisconsultus in Leg. 11. ff. De Usufructu, & judicatum refert Renatus Choppinus De S. Polit. lib. 3. tituli. 8. num. 12.

Notat quoque Zypæus in jure novo titulo De Rebus Ecclesiae non alienandis nu. 8. arbores grandes & cædi inassuetas rerum immobilium loco haberi, neque per Beneficiatum cædi posse, nisi (ait) demortuæ sint; quando in earum locum alias substituere usufructuarii seu Beneficiarii tenentur L. 18. ff. De Usufructu.

XXX. De arboribus cædendis, atque in earum locum alias plantandis, extat Decretum Synodi Sylvæducentis sub Masio tituli 20. cap. 13. quo ferè continetur quidquid circa hujusmodi arbores jure communi & hodierno Belgico observari oportet: "Hoc etiam ferè mandamus universis Parochiis, aliisque beneficiariorum, & officiorum Rectoribus, ut in locum arborum cædarum, quæ vel vetustate, vel alio modo pereunt vel cæduntur (quas tamen non nisi congruo & debito tempore pro locorum consuetudine cædi volumus) alias plantent; quoad arbores verò incæduas, illæ abluque nostra speciali licentia non cædantur, ac pretium, inde proveniens ad augmentum, & utilitatem beneficiariorum, aut reparationem edificiorum eorum undem applicetur, & nihilominus in locum earum aliarum substituantur, sub pœnis arbitrio nostro imponendis.

CAPUT IV.

De causa & solemnitate in alienatione rerum Ecclesiae requisitis.

1. Ex causa utilitatis vel necessitatis res Ecclesiae alienari possunt.
2. Redemptionem captivorum esse justam causam alienandi vasa Ecclesiae declaravit Justinianus Imp.
3. Idem sensit S. Gregorius.
4. Ad redimendos captivos & alendos pauperes vasa Ecclesiae posse distrahi docuit S. Ambrosius.
5. Melius esse aurum impendi alendis pauperibus, quam ornandis templis docuit S. Hieronymus.
6. Idipsum multis adstrinxit S. Chrysostomus.

7. Redar-

7. Redarguit Monachos S. Bernardus, qui neglectis pauperibus templa sumptuose ornabant.
8. Hic ornatus splendidus templorum non raro provenit ex avaritia.
9. Quare homines solent esse promiores ad ornanda templa quam alendos pauperes.
10. Laudatus Episcopus, qui pro alendis & redimendis captivis vasa Ecclesiae etiam iniuriata vendiderat.
11. Triplex causa alienandi probatur à Canonistis.
12. Hæc causa olim probari debebat in Concilio Episcoporum.
13. Hinc astruitur Decretum de non alienandis rebus Ecclesiae à Gratiano relatum, non esse Leonis Magni.
14. Juxta hoc Decretum & modernam disciplinam huic conformem non debet causa discuti in Concilio Episcoporum.
15. Requiritur tamen tractatus prævius super causa alienandi.
16. Sufficit unicus, nisi plura requirat specialis constitutio aut consuetudo.
17. Quomodo tractatus Cleri siue Capituli instituendus.
18. Debet discuti an non possit alia via necessitati Ecclesiae succurri.
19. Tractatus Cleri vel Capituli requiritur, quando ipsius consensus exigitur; & non aliter.
20. Quorum exigitur consensus, etiam tractatus necessarius est.
21. Exigitur consensus Capituli dum agitur de bonis mensa Capitularis.
22. An requiratur consensus totius Capituli?
23. Consensus Capituli requiritur quoad bona mensa Episcopalis, licet sit separata à mensa Capitulari.
24. Requiritur quoque consensus Episcopi.
25. Si Ecclesia non habeat Capitulum aut Conventum, solus consensus Episcopi sufficit.
26. Quomodo Episcopi soleant instituere tractatum siue examen super causa alienationis.
27. Quoad Ecclesias exemptas requiritur licentia Pontificis.
28. Imò attendente Constitutione Pauli II. exigitur illa in omni alienatione rerum Ecclesiae: sed hic non recepta.
29. Si Regulares exempti habeant Superiorem cum potestate quasi Episcopali hujus auctoritas sufficit.
30. Quid de Monialibus Ordinibus Mendicantium?
31. Episcopi hodie jurant non alienare possessiones suas mensa inconsulto Pontifice.
32. Pontifex solet dare licentiam in forma commissoria.
33. Judices Delegati diligenter inquirere debent de veritate contentorum in litteris Apostolicis.
34. An requiratur consensus Patroni?
35. Hodie in Gallia, & in Belgio solet requiri consensus Regius.
36. Quomodo ante consensum Regium fiat informatio super causa alienationis.
37. Trium potissimum in alienatione hodie requiruntur, ad quæ respexit Philippus 11 in suo Edicto.
38. Consensus Capituli aut Episcopi quomodo exprimendus.
39. Plures solemnitates requisitæ à Justiniano sed hodie non sunt in usu.
40. Non semper ob defectum solemnitatis requisitæ invalidatur alienatio in Gallia.
41. Neque hic in Belgio.
42. Potissimum attenditur, num justa fuerit causa alienandi.
43. Alienatio non semper rescinditur propter omissum consensum aliquorum de Conventu, vel Superioris.
44. Causa alienationis in instrumento exprimenda: præsumitur tamen si legitima forma sit servata.
45. An præsumatur debita solemnitas intervenisse?

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

46. Post tempus notabile non facillè rescindenda alienatio nisi fraudis aut dolus intervenisse probetur.
47. Alienatio in consanguineos Prælati habetur suspecta.
48. Ob lesionem notabilem restitui potest Ecclesia exemplo minoris.



I. Ametfi multis Canonibus & Principum Legibus vetita jam pridem fuerit rerum Ecclesiasticarum alienatio; nequaquam tamen mens illorum fuit, earum alienationem impedire, quando vel causa pietatis, aut Ecclesiae necessitas aut utilitas eam alienationem postulat.

Unde in famoso illo Decreto relato apud Gratianum sub nomine Leonis Papæ (cujus verba relata sunt capite precedenti) post inhibitam alienationem additur clausula Nisi forte aliquid horum faciat, ut MELIORA proficiat. Et in Clementina 1 De Rebus Ecclesiae non alienandis, post factam similiter prohibitionem alienationis subditur: Nisi necessitas aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesiae aut administrationis hujusmodi hoc exposcat. E quibus uno consensu concludunt Doctores, res Ecclesiae ex causa necessitatis aut utilitatis alienari posse.

II. In Novella Justiniani 120 cap. 10. prohibentur vendi aut pignori supponi vasa sacra Ecclesiarum, nisi pro redemptione captivorum.

Similiter idem Imperator in L. 21. Cod. De SS. Ecclesiis perhibens sacrorum valorum qualemcumque alienationem aut oppignorationem, addit: "Excepta videlicet, cet causa captivitatis in locis his, in quibus hoc (quod abominamur) contigerit. Rationem exceptionis notandam subjungit: "Nam si necessitas fuerit in redemptione captivorum, tunc & venditionem præfatarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus: quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis præferri.

III. Ad has Justiniani Constitutiones verosimiliter reflexit S. Gregorius dum lib. 6. Epist. 35 scribit: "Et Sacrorum Canonum & Legalium statuta permittunt ministeria Ecclesiae pro captivorum esse redemptionem vendenda. "Et rursus lib. 7. indit. 2. capit. 14. "Sacrorum Canonum statuta, & Legalis permittit auctoritas, licet res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi.

IV. Extat apud Gratianum caus. 12. quest. 2. Can. 14. & 15. qui ibidem Can. 70. refert dictum S. Ambrosii ex lib. 2. de Officiis cap. 28. In his tribus generibus (scilicet redemptione captivorum, alimonia pauperum, & sepultura Christianorum) vasa Ecclesiae etiam iniuriata constringere, conflare vendere licet.

V. Et Canone sequenti refertur dictum S. Hieronymi in epistola ad Nepotianum quo vivis Christi templis & membris providendum esse potius, quam templis inanimatis astituit; prævenitque argumentum, quod à templo Salomonis pro splendido & exorbitanti templorum ornatu detulit. "Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes Hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum: quamquam hæc omnia præcesserint in figura, scripta autem sunt propter nos, in quos fines seculorum venerunt. Nunc verò, cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicavit, portemus crucem, & divitias lutum putabimus.

VI. Eandem veritatem multis adstruit S. Chrysostomus Homil. 51. in Matth. non improbens quidem templorum ornatum; sed misericordiae opera præferens. "Hæc dico non quia vetare velim talium valorum oblationem, sed quia dignum putem, ante omnia misericordiae ac benignitati esse incumbendum; Nam & vasa

D d d

la